



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Theophili Raynavdi, Ex Soc. Iesv. Erotemata De
Malis Ac Bonis Libris, Deque Ivsta Avt Inivsta, eorumdem
confixione**

Raynaud, Théophile

Lvgdvni, 1653

XVII. Libri de argumentis inanibus, an damnandi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11141

391. Hæc dixerim de librorum Chymicorum confixione, iure, (vt sic dicam,) factibili. Nam hætenus quidem, nullos libros Chymicos iure positiuo communi, esse veritæ lectionis, etiam post Extrauag. *Spondem*, Ioannis XXII. contra Alchymistas, rectè censuit Deltio *suprà quest. 4. conclus. 1.* quamuis iure naturæ aliter fortè statuendum esset, ne lectio huiusmodi librorum, (vti affolet,) lectores adedò capiat, vt exhauriat, coniciatque in morale fortunarum periculum, vnde innumera postea peccata progerminant. Quo ex capite, Chymicum studium, atque adedò libros, quoad priuatos, damnant Sanchez 2. *in Decalog. cap. 40. num. 51.* Penna 3. *part. directorij Inquisit. scholio 32.* & latè à Grafis p. 1. *decis. lib. 1. cap. 28. num. 27.* negans Chymicum pertinacem, esse sacramentaliter absoluendum. Ex quo sequitur, homini sic affecto, lectione Chymicorum librorum, quibus voluntas eius operis gliscat, obfirmereturque, iure naturæ interdici. Suppeteretque aliud caput ad simile interdictum, si contingeret, librum Chymicum desinere in Astrologiam illicitam, aut Necromantiam, quod frequens esse Chymistis, affirmat Cardinalis Vigerius *in decachordo, chorda 10. cap. 5.* Vide etiam Scaligerum *Exerc. 127.*

EROTEMA XVII.

Libri de argumentis inanibus, an damnandi.

192. **R**Efero in hanc seriem, libros de inutilibus argumentis conscriptos, quales sunt præter ceteros, quibus laudantur quædam illaudabilia, de quibus nos alibi cum de studiofitate, præter alia, de quibus Seneca *de breuitate vite, cap. 13.* & non pauca, quæ in eam rem addensæt Isocrates *in Helena encomio, initio.* Huiusmodi argumenta, Agellius *lib. 17. cap. 12. infames materias* vocat, & *inopinabiles.* Sic Phauorinus quartanam laudauit, & Therfitem Homericum. Podagram, & surditatem, adolescens apud Philostratum. Psainas vrticam, vt est apud Plinium *lib. 22. cap. 17.* Chrysippus brassicam, apud eundem *lib. 16. cap. 19.* Lucianus muscam, Psellus, & Calcagninus, pulicem; Isocrates Busiridem, Synesius caluitium, Erasmus Moriam, siue stultitiam, Picus Mirandula barbariem, Dusa, vmbra, Agrippa, Alinum, Turnerus ebrietatem; stercus aliqui apud Diuum Augustinum *lib. de vera Relig. cap. 42.* Hæc & alia huiusmodi *ματαιότητις* argumenta, (sic enim appellat Fabius *lib. 2. cap. 21.*) addensantur à Lælio Bisciola *tom. 2. horarum subsec. lib. 16. cap. 7.* nam etiam lectas à se opellas memorat de laudibus pestis, scabiei, pediculi, cimicis, & (quod æquè fatuum, ac impium est,) excommunicationis. Multa talia opera addensantem Leonem Allatum *lib. de Psellis pag. 75.* his pridem annotatis deprehendi. Gaspar item Dornauus, Theatrum suum iocosarium, aggestis huiusmodi lucubrationibus confecit.

Hos

Hes libros, si aliud non allegetur quàm argumenti inanitas, hinc ablego, quod, ut supra aduertit, alia hic dispendia attendamus, quàm temporis: & possit in huiusmodi lucubrationibus plurimum quandoque prodi ingenij. Quid enim ingeniosus Synesiana celebratione caluitij? Notauit hunc talium scriptio- num fructum, Gellius *notato loco*, ex Phauorini sententia. [Infames, (inquit,) materias, siue quis matuit dicere inopinabiles, quas Græci ἀδύζως καὶ τρώως ὑπεθέσκει appellat, & veteres docti sunt: non sophistæ solum, sed Philosophi quoque, & noster Phauorinus oppidò quàm libens in eas materias dicebat, vel ingenio expergificando ratus idoneas, vel exercendis argutiis, vel edomandis vsu difficultatibus, sicuti cum Therstræ laudes quæsuit, & cum febrim quartis diebus recurrentem laudauit. Lepida sanè multa, & non facilia inuentu in vtramque causam dixit.]

393.

Absolutè tamen loquendo, inane est huiusmodi laborem subire, & in homine aliis distento curis, ratione muneris, aut gradus, labor ille posset non vacare labe. Quò pertinet disputatio, quam instituit Hernæus *quodlib. 2. q. 16.* an viro Theologo, mortale sit hære in quæstionibus curiosis. Admissa enim honestate ventilationis quæstionum curiosarum, ad laxandum, vel iucundè exercendum animum, sicut potest honestum esse, & labe vacans ludere, dimissis ad tempus negotiis seriis; subiungit, posse tamen esse mortale peccatum in studio talium quæstionum; vtique nimio, si inde dispendium animarum exoritur; quatenus qui nugis illis insistit, posset utiliter nauare operam depulsi errorum alicubi fortè vigenium, in euentu, in quo charitas, aut studium fidei, iniiciat necessitatem depellendi errores illos. Non ista frustrà iactari ab Heruæo, sed experimento firmatum esse tricas inutiles Scholasticorum, inutilibus curiositatibus, imò meris nugacitatibus plus iusto insistentium, & languentium circa pugnas verborum, nocuisse supra modum Ecclesiæ Dei, seculo superiore, eum Lutherana caligo operuit populos, quæstus iam pridem est Melchior Canus *lib. 9. de locis cap. 1.* agens de Theologis arundines longas argumentorum, & gerrarum Sophisticarum proferentibus, cum deberent tela non imbellia vibrare.

394.

S E R I E S I V.

Libri nec in se mali, nec nocui.

Actum hætenus de libris & in se malis, & noxiis, ideòque confingendis. Item de libris in se malis, sed non noxiis, ideòque sine cuiusquam periculo, immunibus à confixione. Nunc agendum sequitur de libris in se malis, imò bonis; itémquè non noxiis, sintne eorum aliqui confingendi. Hoc proponens, videbor ad rem superuacaneam aggredi; confixio enim, damnum à libro imminens spectat, eiùsque vitium supponit. Vbi ergo vitium non interuenit, & damni periculum abest, frustrà, imò cum iniuria, videtur præbendus confixioni locus. Meritò tamen id à nobis agitari, sequentia monstrabunt.

395.